

centi dabo manna absconditum. Eam ob causam ipse Christus dominus apud Matthæum cum thesauro abscondito se comparauit, cum dixit: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito. Vbi iuxta diui Hieronymi sententiam per regnum cœlorum Christus absconditus in carne significatur. Hoc eius mysterium, illiusque temporis & hebdomadas prædixit Daniel: sed verbis excellis & difficilibus: ad quorum intelligentiam magna cura opus est. At iuxta Solonis apophthegma à Platone in Cratylo, & in libro quarto: de republica vsurpatum *δυσκολὰ τὰ καλὰ*; Hoc est, difficilia quæ pulchra. Multa tamen aperte dicit aduersus hæreticos, & Iudæos à fide alienatos: quæ illi nolunt intelligere: nam simul atque editi in lucem & suscepti sunt, ita variis imbuntur erroribus & corruptelis, vt opinionum peruersionem & impia flagitia penè cum late nutritis suxisse videantur. Horum perfidiam in his Commentariis perspicuè redarguo, & conuinco. Cum autem quæ rerem, cui eos dedicarem, tu statim vnus occurristi vir clarissimè, qui veram sapientiam, eximiamque virtutem cum generis nobilitate coniungis. Qui elemosynis, benignitate, magnificentiâ, & cæterarum virtutum ornamentis consecutus es, tametsi ad id haudquaquam respexeris, summam nominis celebritatem & amplitudinem. Qui ad sedes æternas mentium beatarum, ad illam cœlestem gloriam aspiras, vbi beati admirabilibus gaudiis affecti, bonorum omnium copia cumulantur, & Deo æuo sempiterno fruuntur. Quare tibi debentur hæc scripta mea: præsertim cum ea ediderim in hoc tuo insigni ordinis nostri monasterio diui Marci, à maioribus tuis illustrissimis constructo, & possessionibus vectigalibusque amplificato: vbi sunt eorum sepulchra & elogia. In eo apparent passim nobilissima & antiquissima Syluiorum insignia & stemmata, qui ab antiquo Syluio rege Latii inuictissimo, principio nobilitatis tuæ originem ducunt. Fateor verum decus consistere in rectè factis: nam vt diuus ait Hieronymus, nobilitas hominis apud Deum est, clarum esse virtutibus: quemadmodum enim sol erigit vapores terrestres, eosque extollit ad cœlum: sic eximia vitæ integritas homines humili, atque obscuro loco natos effert in sublimè, euo-

ΑΡΟC. 2.
ΜΑΤΘ. 13.
Hieron.

Solon.
Plato.

Hieron.
Similitudo.